



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

De Sacramento Pœnitentæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

Postea accipit ambas ampullas Olei & Chrismatis, & de utroq; simul in modum Crucis in fundendo dicit.

Commixtio Chrismatis sanctificationis, & Olei unctionis, & aquæ baptismatis, pariter fiat, in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † sancti, **R.** Amen.

Tum depositis ampullis, dextrâ manu oleum sanctum & chrisma infusum miscet cum aqua & spargit per totum fontem. Deinde manum detergit, baptizandos baptizat, Si neminem baptizat, statim manus abluat, ablutio fundatur in Sacrarium.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Cum materia, forma, ordo, & ritus hujus Sacramenti Episcopum, veluti Ministrum hujus concernat, hic de his nihil ponitur nisi quod Parochi Confirmationis Sacramentum, ejusq; effectum, gratiam scilicet majorem ad resistendum Diabolo & tentationibus, suis diligenter explicent, ut & in statu gratiæ suscipiatur. Curabunt etiam, ut omnia tam Confirmatorum, quam parentum & patrinorum nomina exactè notentur, quatenus confirmationis testimonia dare valeant; & de cognatione spiritali inter confirmatum ejusq; Parentes, & Patrinum contracta cognoscere. Et si fortè contingat, quosdam inveniri, qui hoc impedimento posito, nihilominus matrimonium contrahere vellent, Parochi desuper Superiorem loci informare valeant.

Fascia post triduum solvatur & detergatur frons, fasciaq; comburatur.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Pœnitentiæ Sacramentum, relapsis post baptismum unicum salutis remedium, à Sacerdote proprio, vel alio ad id delegato, & ab Ordinario antecedentè approbato, tanto administretur accuratius, quanto petitur frequentius; ne vel ignorantia Ministri, vel nimia facilitate à quibusvis casibus absolvendi vilescat, vel nimia hæsitacione & scrupulandi morâ fiat exosum.

Materia ejus remota sunt peccata, proxima verò actus pœnitentis. Minister solus Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam vel delegatam, at in periculo mortis quivis Sacerdos à quibusvis peccatis absolvere potest. Forma vero est. **Ego te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.** Cætera antecedentia & subsequencia sunt tantum requisita ad solemnitatem, non verò ad necessitatem Sacramenti.

Prudentiam & scientiam hic requisitam assiduis ad Deum precibus & studio continuo Minister sibi acquirat, ut de quovis animi morbo debite judicare, & convenientia media præscribere valeat, ne tanquam imperitus medicus medicinam omnibus unam præscribat, vel ut est vice Dei Judex, in ferendâ scientia aberret. Peritos itaq; sæpè consulat, & Authores de casibus conscientiæ tractantes diligenter evolvat. Memineritq; in omnibus artissimi sigilli secretæ confessionis, ut sub perpetuo silentio accepta custodiat.

Casus summo Pontifici & Ordinario loci reservados, suaq; Ecclesiæ constitutiones sciat, & diligentèr observet, sicut & omnem doctrinam hujus Sacramenti, & alia ad ejus administrationem necessaria.

Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

Sacerdos ad audiendum confessionem vocatus, promptum faciemq; se præbeat; ac priusquam ad audiendam confessionem accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium rectè sanctèq; obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesiis, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causâ rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat: quæ sedes patenti, conspicuo, & apto loco Ecclesiæ posita, crate perforatâ inter pœnitentem & Sacerdotem sit instructa.

Superpelliceo & stola violacei coloris utatur, si id tempus vel loci consuetudo ita ferat:

Pœ-